

dicendae defuerit, a communione non removeatur; si vero aliquando defuerit, restitut[i]o communione episcopo ipse removeatur; ita tamen, ut nec ipsi adimatur facultas cause peragenda, si se ad diem occurrere noluisse, sed non potuisse probaverit. Sane placuit et illud cum agere coeperit in episcoporum iudicium, si fuerit accusatoris per se culpabilis, ad accusandum vel arguendum non admittatur, nisi proprias causas, non tamen si ecclesiasticas dicere voluerit.

Si autem presbyteri vel diaconi fuerint accusati adiuncto sibi ex vicinis locis legitimo numero collegarum, id est in presbyteri nomine quinque, in diaconi duo episcopi ipsorum causam discuciant, eadem dierum vel dilationum et a communione remotionum discussionem personarum inter accusatores et eos qui accusantur forma servata. Reliquorum autem causas etiam solus episcopus loci cognoscat et finiat.

(XVIII, 3) ITEM IBI CAPITULO VIII

DE CLERICIS QUI IUDICIA SECULARIA ADEUNT ET DE DIVERSIS IUDICIIS.

Sane si quis episcoporum (epm. *Cod.*) seu clericorum, cum in ecclesia ei fuerit crimen institutum, vel civilis causa fuerit commota, relicto ecclesiastico iudicio publicis iudiciis purgare voluerit, etiam si pro ille fuerit prolata sententia, in locum suum non restituatur. Haec in criminali, in civili vero perdat, quod evicit, si locum suum obtinere maluerit. Cui enim ad elegendos iudices undique ecclesiae pateat auctoritas, ipsi indigno fraterno consortio iudicet, qui de universa ecclesia male senciendoulare de iudicio poscit auxilium, cum privatorum christianorum causas apostolus ad ecclesiam deferri atque ibi determinari praecipiat. Hoc etiam placuit, ut si a quibuscumque iudicibus ecclesiasticis alios iudices ecclesiasticos ubi est maior auctoritas fuerit provocatum, non eis obsit quorum fuerit soluta sententia, si convinci non potuerit vel inimico animo iudicasse vel aliqua cupiditate aut gratia depravati; sane si ex consensu partium iudices electi fuerint, etiam pauciori numero quam constitutum est non liceat depravari.

---

XVIII, 3 Konz. v. Karthago, Kap. 9, Rubrik u. Text aus einer heute verlorenen Vorlage (mit Abweichungen gegenüber *Hisp.*, *Karth. III*, *Kapp. 9* und *10*; *Migne PL 84*, 190 C—191 A; weit mehr abweichend *Dion.*, Kap. 15; *Migne PL 67*, 189 A—B).